



# The Holy See

---

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *URBIS*  
*(TEMPLUM SACRI CORDIS CHRISTI REGIS)\**

TEMPLUM SACRI CORDIS CHRISTI REGIS  
AD DIACONIAE DIGNITATEM EVEHITUR.

Sacrum Cardinalium Collegium cum Nostra sit voluntas, ob auctas profecto hodierni temporis necessitates, augere in idemque ex variis ac remotissimis terris delectos egregia e virtutis viros cooptare, in promptu habeamus oportet nonnulla alia praeter cetera urbis Romae templa, quae Purpuratis iisdem Patribus vel uti titulum presbyteralem vel uti diaconiam, ad catholicae Ecclesiae morem, assignemus. Quapropter, opportunum visum est Nobis templum quoque Sacri Cordis Christi Regis ad diaconiae dignitatem attollere; quod scilicet non solum sacrae illi aedi maximo honori futurum non dubitamus, cardinaliae dehinc purpurae splendore decoratae, sed sodalibus etiam Congregationis Sacerdotum a Sacro Corde Iesu debitae remunerationi, quippe qui iamdiu operam suam sollerter, industriam, impensam ibidem navent. De suprema ideo et apostolica potestate Nostra, templum Sacri Cordis Christi Regis ad diaconiae gradum et dignitatem evehimus, omnibus datis iuribus et privilegiis, quibus ceterae in Urbe diaconiae vel iure vel consuetudine fruuntur. Volumus praeterea ut hae Nostrae sub plumbo Litterae, eius cura qui ad praesens ei sacrae aedi moderatur, coram clero atque populo perlegantur, cum primus post eas acceptas dies festus ad venerit de pracepto celebrandus. Cuius rei, postquam perfecta fuerit, congrua documenta exarentur ad Sacramque Congregationem Consistoriale cito mittantur, de more signata sigilloque impressa. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri preferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die quinto mensis Februarii, anno Domini millesimo nonagesimo sexagesimo quinto, Pontificatus Nostri altero.*

IACOBUS A. Card. COPELLO

*S. R. E. Cancellarius*

CAROLUS Card. CONFALONIERI

*S. Congr. Consistorialis a Secretis*

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam Regenslophus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, Protonot. Apost.*

*Caesar Federici, Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LVII (1965), n. 7, pp. 487-488 © Copyright 1965 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana